Ao 1556.
116.)

S. P. Non vacavit, nepos charissime, ad literas tuas 6. Calend: Decembris scriptas anteà respondere ob negotia, quæ me quotidie distinent. Libellus epitomen librorum Magistri sententiarum complectens mihi pergratus fuit. Vignerium quoque compares velim, quod si meo non arridebit palato, tibi eum relinquam, curabis autem eum commodè ac politè compingi; Preter eum verò velim quoque pro me emas Philonem Judæum ex editione Basileensi anni 1554. Item Pausaniam et Polybium in linguam Latinam translatos ex novissima editione. Tum quoque velim scruteris diligenter Plutarchi opera, quæcunque extant in Latinum conversa et ubi ea sint impressa; jamdudum enim ea desideravi, pecuniæ summam, quæ in precium opus erit, indicabis, quo eã ad te mittere possim.

Aliud quoque est, quod mi nepos, tibi significem, nos quinta die hujus mensis amisisse Serapionem fratrem meum Orientmannum in Suetia: cujus mortem ego certè dolentissime fero, ante aliquot autem menses eum præcesserat Barbara conjunx, relictis liberis novem, in quo certè familia nostra magnum amisit columen; lugeri à vobis nepotibus deberet per sex saltem hebdomadas, et si ita tibi videtur, poteris vel istic vestem curare fieri luctui accommodam, vel Styno nostro mandare, ut hinc ad te mittat, nisi malueris exteriorem

luctum convertere in interiorem et preces, quibus ejus animam Deo commendes. Vale mi nepos. Bruxellæ XIIJ. decembris 1556.

Resignatio prebendæ S. Salvatoris pro pensione non est sortita effectum, pro D. Christiano Reyneri, quamobrem consilium meum est, ut in Fratrem suum Folkhardum ea transferatur. cujus gratia mitto ad te minutam procuratorij quod velim cures per aliquem notum notarium isthic expediri et ad me mitti. Postquam hæc scripsissem venit ad me M. Joh. Langius. qui dixit novo procuratorio opus non esse in fratris favorem, quare non est, quod de eo sis sollicitus. curabo autem fratri quamprimum provideri.

Tuus avunculus
Viglius Zuichemus.

Inscriptio.

M. Buckoni à Montzima Canonico
Trajectensi nepoti suo charissimo.
Lovanij in ædibus D. Ruardi Decani
S. Petri.

(17) Otthainrich von Gottes gnaden Pfaltzgrave bey Rhein des hay: Rö: Reichs Ertztruchses und Churfürst Hertzog in Nidern und obern Bayern etc

Lieber getrewer wiewohl wir yetzo, in Eintrettung unserer Churfürstlichen Regierung, bericht empfangen auch nit zweifflen, da weylandt der Hochgeboren fürst, unser freundlicher lieber Herr und Vetter Pfaltzgrave Friderich Churfürst etc lobseliger gedechtnüs, lenger bey leben geblieben, er were durch sein Lieb, in dem Churfürstenthumb der Pfaltz, die ware Christliche Religion gepflantzet und so vil

müglich